(7

DISSERTATIO THEOLOGICA DE AUREOLIS VIRGINUM, DOCTORUM ET MARTYRUM,

QUAM,

PRÆSIDE

CHRISTOPH. MATTHÆO PFAFFIO,

S. THEOL. DOCTORE ET PROF. PRIMARIO, ACADEMIÆ TUBING. CANCELLARIO, ECCLESIÆ PRÆPOSITO, ABBATE LAUREACENSI,

IN AULA THEOLOGORUM NOVA

AD DIEM XIX. SEPT. A. MDCCLIII.

DEFENDET

ELIAS KUTTER,

Ravenspurgensis,

S. LITERARUM CULTOR.


TUBINGÆ,

LITERIS LÖFFLERIANIS.

40


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE





Cùm de diverſis gloriæ gradibus quæritur, ſunt, qui in defectu, ſunt, qui in exceſſu peccent. In defectu peccant, qui diverſos gloriæ gradus inficiantur. Fertur eorum anteſignanus fuiſſe JOVINIANUS, contra quem HIERONYMUS L. II. diſputavit, ita tamen, ut haud exactè & plenè ejus ſententiam propoſuerit, quod & monet SPANHEMIVS in dub. Ev. P. 3. p. 779. Ex Reformatis PETRUS MARTYR & DANJ. TILENUS exiſtimavere, ex ſacris literis hanc quæſtionem decîdi non poſſe. Aliter JO. CAMERO, qui in præl. ad Matth. XVIII. 1. adſtruere conatus eſt, nullos eſſe glo-

riæ gradus. Vide illius σωζόμενα f. 90. ſqq. Probabiliorem hanc ſententiam alterâ putavit SPANHEMIUS l.c. dubio 135. Eandem tibiam inflavere SCHÖNFELDIUS, Theologus Caſſellanus, in diſſ. de inæqualitate gloriæ ſanctorum §. 38. & VERDERIUS, Theologus Montalbanenſis, quem pec. diſput. de quæſtione, an in vitâ æternâ futuri ſint gloriæ gradus, Argentorati A. 1659. refutavit DANNHAWERUS. Ex Socinianis VAL. SMALZIVS negavit inæqualitatem gloriæ, à SOCINO eapropter reprehenſus in ep. 7. ad eum ſcriptâ. In exceſſu heic peccant Eccleſiæ Romanæ Doctores, qui putant 1. inæqualitatem graduum gloriæ pro fundamento habere inæqualitatem *meritorum* in hâc vitâ comparatorum, 2. certas quasdam gloriæ prærogativas, quas *aureolas* vel & *laureolas* appellant, adſcribendas Virginibus, Doctoribus & Martyribus. Aureolas hasce primus in ſyſtema redegit THOMAS AQVINAS, qui in Supplemento ad tertiam partem ſummæ ſuæ qu. 96. prolixè ſuam de aureolis ſententiam exponit. Totam verò tractationem is in tredecim dividit articulos. In primo diſquirit, num *aureola* ſit aliud à præmio eſſentiali, quod dicitur *aurea*. Scilicet *aurea* eſt ipſa beatitudo, *aureola* verò eſt aliquid beatitudini ſuperadditum. Provocat hìc THOMAS ad Ex. XXV. 25. ubi in Vulgatâ: *ſuper illud facies & alteram coronam aureolam:* Concludit hinc, *aureolam, cùm gaudium quoddam de operibus, quæ excellentis cujusdam victoriæ rationem habeant, ſignificet, aureæ ſive præmio eſſentiali additum, ab aureâ ſive gaudio, quo quis de conjunctione ad Deum gaudet, diſtingui, nihilominùs tamen, quia ſuperaddita ſit eſſentiali, eſſe eo minorem.* In ſecundo articulo diſputat,

tat, utrum aureola differat à fructu, in tertio, utrum fructus debeatur soli virtuti continentiæ, in quarto, utrum convenienter assignentur tres fructus tribus continentiæ partibus? Nihil hîc egregii aut notatu digni. In articulo quinto quærit THOMAS, utrum aureola debeatur ratione virginitatis? Affirmat hoc duplici argumento fretus. Primum petitum est ex Jes. LVI. 4. ubi: *hæc dicit Dominus evnuchis . . . . . dabo eis nomen melius à filiis & filiabus.* Secundum ex Apoc. XIV. 3. 4. unde pateat, solas virgines posse *canere canticum novum*, utpote, quæ *sequantur agnum, quocunque ierit.* Etenim ait THOMAS, ubi sit præcellens ratio victoriæ, ibi deberi specialem aliquam coronam, eamque excellentiorem. Opponit tamen sibi, ita beatæ Virgini, licet virgo virginum sit, haud deberi aureolam, quia in continendo nullam pugnam sustinuerit, utpote à concupiscentiâ omni pravâ immunis. Responsio, quam dat, est frigida, *quamvis non habuerit pugnam per tentationem à carne, habuisse tamen pugnam per tentationem ab hoste, qui nec ipsum Christum reveritus fuerit, uti pateat ex Matth. IV.* In sexto articulo disputat Doctor Angelicus, utrum Martyribus aureola debeatur? Monet hîc, aureolam esse præmium, quod operibus supererogationum *reddatur.* Id quod & antea jam dixerat, aureolas saltem pertinere ad eos, qui, cùm præcepta servârint, & consilia servent. Addit tamen, eos saltem Martyres opus supererogationis facere, qui Christum confiteantur requisiti. Ita & putat, aureolam mereri &, qui non statim ex plagâ vel vulnere acceptis moriantur, sed supervivant. Imò & inter Martyres aureolâ dignos recensen-

 dos

dos esse infantes Bethlehemiticos ab Herode occisos. Licet enim naturaliter usum rationis non habuerint, tamen vel virtute divinâ illum in ipsis fuisse acceleratum, uti in Johanne Baptistâ, dum adhùc in materno utero esset, vel fuisse ipsos Martyres saltem actu, non voluntate, adeoque tamen nactos aureolam, non quidem secundùm perfectam rationem, sed tamen secundùm aliquam participationem, secundùm quam *aliquid martyrii* habuerint ex hoc, quòd pro Christo passi fuerint. In articulo septimo disquirit Vir scholasticus, utrum Doctoribus aureola debeatur? Affirmat, Doctores aureolam consequi, propter victoriam, quam obtineant adversus diabolum per prædicationem & doctrinam. Mirum, illum heic non allegare oraculum Danjeliticum XII. 3. quod alii allegant. In articulo octavo quærit, utrum Christo aureola debeatnr? Conclusio hæc est: *Quanquam Christo aurea debeatur, cùm strenuè pugnaverit & vicerit, non tamen aureola debetur, quòd aureola quandam perfectæ victoriæ participationem denotat, quod Christo non convenit, in quo ipsa perfectæ victoriæ plenitudo existit.* Ratio est, quia aureola dicat aliquid minus aureâ, & sit aureæ diminutivum. Licet ergò Christus fuerit verissimè Virgo & Martyr & Doctor, tamen præmium accidentale, quod his respondeat in Christo, non habere aliquam nobilem quantitatem in comparatione ad magnitudinem essentialis præmii, unde Christus non habeat aureolam sub ratione aureolæ. Miraris subtilitatem, lector. Articulus nonus disputat, utrum Angelis aureola debeatur? Negatur hoc, quia in Angelis nec concupiscentia prava, nec pugna est. In articulo decimo disquiri videas,

deas, num aureola etiam debeatur corpori. Negatur. & hoc, quia animæ, quæ modò ſunt in Paradiſo, habent aureolas, nec tamen habent corpora, quia omne meritum, quod parit aureolam, eſt ab animâ, & aureola propriè eſt in mente, etſi hæc aureola, ſuccedente deinceps corpore, per quandam redundantiam etiam in corpore refulgeat. Nec tamen, addit THOMAS, decorem cicatricum, quæ in corporibus Martyrum apparebunt, poſſe dici aureolam, quia aliqui Martyres aureolam habituri ſint, in quibus hujusmodi cicatrices non erunt, qui ſunt ſubmerſi, aut famis inediâ vel ſqualore carceris interemti. Undecimus articulus hanc quæſtionem complectitur: utrum convenienter deſignentur tres aureolæ, virginum, Martyrum & Prædicatorum? Hîc ita procedit Vir ſubtilis: *Videtur, quòd inconvenienter deſignentur tres aureolæ, Virginum ſcilicet, Martyrum & Prædicatorum. Aureola enim Martyrum reſpondet virtuti fortitudinis eorum, aureola virginum virtuti temperantiæ, aureola verò Doctorum virtuti prudentiæ. Ergo videtur, quod debeat eſſe quarta aureola, quæ reſpondeat virtuti juſtitiæ. Præterea Ex.25. dicit gloſſa, quòd corona aurea additur, cùm per Evangelium his, qui mandata cuſtodiunt, vita æterna promittitur Matth. XIX.* Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata. *Huic aureola ſuperponitur, cùm dicitur:* Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. *Ergò paupertati debetur aureola. Præterea per votum obedientiæ aliquis ſe ſubjicit Deo totaliter. Ergo in voto obedientiæ maxima obedientia conſiſtit. Et ita videtur, quòd ei aureola debeatur. Præterea multa ſunt etiam alia ſupererogationis opera, de quibus homo in*

futuro

futuro speciale gaudium habebit. Ergò multæ sunt aliæ aureolæ præter has prædictas. Præterea, sicut aliquis divulgat fidem prædicando & docendo, ita scripta compilando. Ergò & talibus quarta aureola debetur. Conclusio hæc est: *Cùm virgines, Martyres & Doctores in perpetuâ pugnâ sint & victoriam ex eâ consequantur, eis convenienter assignatas esse tres aureolas,* quod latiùs diducitur. In articulo duodecimo occurrit quæstio: Utrum aureola virginum sit potissima inter alias? & respondetur, *cùm Martyrum pugna fortissima sit, vehementissimeque affligat, aureolam eorum esse omnium potissimam.* Denique in articulo decimo tertio quæritur: Utrum alius alio aureolam excellentius habeat? Succedit conclusio: *Cùm meritum sit causa præmii, consequens esse, ut, sicut meritum merito sit majus, sic aureola una major alterâ esse dicatur.* Habes jam totam mentem THOMÆ, lector, quam catervatim & suam fecere Scholastici, maximè, qui in Thomam commentati sunt. Viam omnibus stravit Glossator ad Ex. XXV. 25. fictâ post Gregor. M. & Bedam allegoriâ. Ast &, qui aliâs in LOMBARDUM commentati sunt, hîc excurrunt, ex quibus SCOTUS in 4. sentent. dist. 49. quæst. 5. art. 2. distinctiones aureolarum has ponit, *in capite Martyris coronam cerni rubram, in capite virginis candidam, in capite Doctoris viridem.* Idem observat, *Martyres fortassis etiam in manibus gestaturos palmas, virgines alba lilia, Doctores virides ramos incorruptibiles.* PALUDANUS ad L. IV. sent. dist. 41. addit, *fore in corpore quandam decentiam & pulchritudinem singularem repræsentativam aureolæ, Prædicatori in ore, Virginibus in illâ parte, Martyribus in cicatricibus vel aliis partibus corporis*

ris ſecundùm genus martyrii. Mirum, quî Scholaſtici hîc quæſtiones otioſas cumulent. Ita e. gr. quærunt, num Martyri reſuſcitato, qui rurſus martyrium obierit, id quod S. Sebaſtiano contigiſſe ferunt, duplex debeatur aureola, & reſpondent, quòd ſic. Ita quærunt, num & Abeli debeatur aureola, & reſpondent, quòd non, quia, ſi ſupervixiſſet, uxorem duxiſſet. Ita porrò quærunt, num & mulieribus doctoribus debeatur aureola, & reſpondent, quòd non, quia mulieres in eccleſia tacere debeant. Mirum, quòd non quærant &, num & Pontifici Romano, Doctori univerſali, debeatur aureola? Phalangem Scholaſticorum hîc produci videas à CALOVIO in ſyſt. loc. Theol. T. XII. p. 345. ſqq. & JO. MEISNERO in aſtroſophiâ myſticâ por. 3. §. 3. Quàm facile eſſet, adcitare hîc infinitos alios, quorum unus alterum exſcribit, id quod familiare Scholaſticis eſt, ita, ut, uno, lecto, ferè omnes lecti ſint. Addimus ſaltem jam GREGORIUM de VALENTIA Comment. Theol. T. IV. f. 2434. ſqq. qui itidem pro aureola Virginum allegat Jeſ. LVI. 5. pro aureola verò Martyrum Apoc. II. 17. pro aureola Doctorum Danj. XII. 3. Matth. V. 19. itemque AD. TANNERUM in Theol. Schol. T. II. fol. 151. ſqq. CLAVDIUM ESPENCÆUM, qui ad 2. Tim. IV. 7. n. 23. Opp. f. 430. ſqq. datâ operâ de aureolis agit, & ad coronam beatitudinis ipſius probandam ad Jeſ. XXVIII. 5. ad aureolam Martyrum probandam ad 2. Tim. II. 5. IV. 8. Apoc. VII. 9. 14. ad aureolam virginum probandam ad Sap. IV. 2. Apoc. XIV. 4. ad aureolam Doctorum probandam ad Prov. IV. 9. provocat, teſtimoniis veterum Eccl. Doctorum quoque prolixè adductis, RODERICVM de ARRIAGA, Jeſuitam Hiſpanum, Theologum & Cancellarium

Pragenſem in Diſput. Theol. T. II. f. 553. ſqq. qui verò non ſaltem putat, totam hanc quæſtionem non eſſe magni momenti, ſed & exiſtimat, non ſaltem virginibus, Martyribus & doctoribus tribuendas aureolas, ſed & aliis pluribus, etiam Angelis, etiam Chriſto &c. atque TANNERVM refutat, ex recentioribus duos Purpuratos, VINCENTIVM MARIAM GOTTI in Theologiâ Scholaſtico-dogmaticâ, juxta mentem Thomæ Aqu. T. VII. p. 90. ſqq. ubi & hic, aureolam propriè quidem eſſe in mente, ſed redundare tamen etiam in corpus, additque: *Quale futurum ſit hoc ſignum in corporibus beatorum, Deus novit. Forte erit fulgor aliquis ſpecialis ſupra caput beati in modum circuli ſeu coronæ*, ita ſanè ſanctos & quidem quoscunque, quibus etiam aureola non adſcribitur, pingi videas. *Et quia quilibet beatus non tantùm propriam ſuam beatitudinem perfectiſſimè cognoſcit, ſed etiam beatitudines particulares & proprias omnium aliorum beatorum, ideò videndo ejusmodi coronas luminoſas ſtatim cognoſcet, an ſint aureolæ vel Martyrum, vel Virginum, vel Doctorum.* Alter ex Purpuratis, qui verò nunc Pontificem Eccleſiæ Romanæ ſub titulo BENEDICTI XIV. agit, eſt PROSPER de LAMBERTINIS, qui in vaſto opere de ſervorum Dei beatificatione & beatorum canonizatione L. III. C. 15. ubi §. 4. 5. de aureolis Martyrum maximè agit, atque FRID. SPANHEMIVM reprehendit, quòd in dubiis ſuis Evangelicis P. III. dub. 89. quæ ſcripſerit, *impiè adverſus aureolas effutierit.* Mirum, pervulgatum hoc eſſe Romæ, Pontificem hunc, de quo mira vulgus ſpargit, non poſſidere niſi eruditionem Monachalem. Num Monachi, maximè Itali, aliquid de SPANHEMIO nôrunt? Prote-

ſtantium

ſtantium Theologorum incultus ipſis ager eſt. Aſt & mirum, Pontificem nec refutâſſe SPANHEMIUM, nec ARRIAGAM, qui THOMÆ contradixere ambo. Tempus eſt, ut jam noſtram ſententiam dicamus. Exiſtimamus autem I. certum eſſe, quòd gradus gloriæ ſint inæquales pro ratione graduum ſanctitatis hominum hâc in vitâ. Deus enim gloriam diſpenſat non quidem *propter* meritum, ſed *ſecundùm* qualitatem operum Rom. II. 16. Apoc. XXII. 12. Sed hæc gradibus differt. Ergò & præmium. II. Si claritas corporum reſuſcitatorum differet 1. Cor. XV. 41. 42. differet ſanè & gloria. III. Diverſa ſunt lucra Trapezitarum ſpiritualium Luc. XIX. 6. ſqq. diverſi fructus aratorum ſpiritualium 2. Cor. IX. 6. IV. Quis negârit Apoſtolorum prærogativas Matth. XIX. 28. 29. V. Quis negârit diverſitatem pœnarum infernalium? VI. Ubi inæqualis labor & pugna, ibi inæquale præmium. Poſcunt hoc juſtitiæ regulæ. Addunt, eapropter dici, in domo Patris multas eſſe manſiones Joh. XIV. 2. & dari in illâ, qui ſaltem janitores ſint Pſ. LXXXIV. 11. dari minimos & magnos Matth. V. 19. XI. 11. XVIII. 4. & qui ſint primogeniti Hebr. XII. 23. dari, qui fulgeant fulgore diverſo Danj. XII. 3. Hinc beatos dici ἰσαγγέλȣς Luc. XX. 36. Sed Angelorum dari claſſes majorum & minorum. Addunt porrò Jeſ. LVI. 5. Cant. VIII. 12. Jam audiatur & altera pars. Videas provocari hîc ad Matth. XIII. 43. ubi de juſtis in genere, fore, ut *fulgeant ut ſol*, fore itaque omnium ſplendorem æqualem, ad Matth. XX. 9. 10. ubi omnes, non obſtante labore majore, acceperint eundem denarium, ad 1. Cor. VI. 2. 3. ubi omnibus ſanctis idem promittatur, quod Apoſtolis Matth. XIX. 28. ad 1. Cor. XV. 28. ubi Deus dicitur futurus *omnia*

in omnibus, ad 2. Tim. IV. 8. ubi eadem corona, quæ destinata fuit Paulo, destinata & legitur beandis omnibus, ad Hebr. XII. 23. ubi omnes beandi dicantur primogeniti, ad Apoc. I. 6. ubi affirmetur, Christum omnes ex æquo fecisse Reges & sacerdotes, ad Apoc. II. 26. ubi omnibus tribuatur potestas in gentes, ad Apoc. III. 21. ubi omnibus promittatur sessio in throno Christi. Accedunt rationes. Beatitudo ut sic parta est merito Christi, quod æqualiter omnes beati possident. Fructus itaque meriti, beatitudo nempe, æqualis quoque est. Porrò, si gradus beatitudinis essent inæquales, in beatos hos & illos caderet imperfectio, & appetitus horum & illorum non esset plenè exsatiatus. Ast respondet quoque SPANHEMIUS ad argumenta supra pro inæqualitate beatitudinis allata. Ad Rom. II. 16. non institui hîc comparationem beatorum inter se vel individuorum unius classis & unius ordinis, sed duarum classium oppositarum, beandorum nimirum & damnandorum, imò individuis unius ordinis unum idemque assignari præmium comm. 10. ad 1. Cor. XV. 41. sermonem ibi esse Apostolo non de gloriâ beatorum in cœlis, nec de gradibus & diversitate illius, sed tantùm de differentiâ corporum nostrorum, qualia circumferimus hâc in vitâ, & qualia seminantur, & illorum, quæ excitabuntur, nihilque aliud dici, quàm aliam esse cœlestium gloriam, aliam terrestrium, ad Luc. XIX. 16. sqq. Theologiam symbolicam non esse argumentativam, nihil innui aliud, quàm, qui donis cælitùs datis rectè usi fuerint, amplâ mercede olim donandos, id quod ex loco parallelo Matth. XXV. 20. pateat, ubi idem præmium destinetur

&

&, qui quinque & qui duo talenta lucratus fuerit, ad 2. Cor. IX. 6. ſupponi gratis, Apoſtolum loqui de θεϱισμῷ vitæ futuræ, duplicem eſſe θεϱισμὸν, unum vitæ præſentis, alterum futuræ. Nihil obſtare, quò minus hîc intelligatur prior, dona nimirum tùm corporalia, tùm ſpiritualia, quibus Deus remuneraturus ſit beneficentiam exercitam in ſuos comm. 8. Addit, & hoc gratis ſupponi, quòd θεϱίζειν φειδομένως & θεϱίζειν ἐπ' ἐυλογίαις ſit res ejusdem ordinis, etſi non ejusdem gradûs. Jam enim θεϱίζειν φειδομένως eſſe *nihil metere*, & pœnæ indicium, non præmii, uti σπείϱειν φειδομένως non ſit actus bonus, ſed malus, alienus quippe à Dei præcepto, ab officio œconomi, à praxi datorum, quos Deus diligat, qui ſint datores *hilares*, adeoque liberales, pro virili, non parci. In vitam denique beatam non cadere meſſem parcam, abundare gloriâ, abundare beatitudine beatos omnes. Ad Matth. XIX. 28. quod hîc promittatur Apoſtolis, promitti ſingulis fidelibus 1. Cor. VI. 2. 3. uti jam monuimus, &, quando his vita æterna comm. 29. promittatur, hoc eſſe exegeticum prioris, nihilque diminutivi. Addunt, ex inæqualitate pœnarum infernalium non ſequi inæqualitatem gloriæ, peccari hîc elencho parium & παϱὰ τὸ ἑπίμενον. Aliam eſſe rationem pœnarum, præmiorum aliam, pœnas debitas eſſe, præmia non item. Beatitudinis cauſam unicam eſſe meritum Chriſti, quod inæqualiter non diſpenſetur, non gradus ſanctificationis, ſed cauſam damnationis eſſe peccata, quæ ſint variarum ſpecierum, variorum graduum. Patere hinc &, diverſitatem pugnæ & laboris diverſitatem graduum in gloriâ non ponere. Hoc ſi eſſet, habituros beatos,

 quòd

quòd in operibus ſuis glorientur contra Epheſ. V. 9. Deumque pro abſolutâ libertate ſuâ unam eandemque mercedem largiri licet diverſimodè operantibus Matth. XX. 13. 14. 15. Ad Joh. XIV. 2. peccari hîc ignoratione elenchi, nec enim quicquam hîc de *imparitate* manſionum cœleſtium, ſed de *multitudine* ſaltem illarum, & de amplitudine regni Dei dici, à multitudine verò manſionum ad illarum diſparitatem non valere conſequentiam. Ad Pſ. LXXIV. 11. dici poſſit, ſermonem ibi eſſe de hâc vitâ, de tabernaculo ſacro. Korachitarum hoc officium fuit, ſtare ad portam templi 1. Chr. XXVI. 1. 2. Chr. VIII. 14. Ad Matth. V. 19. XI. 11. XVIII. 4. *minimos* hîc ſignificare *nullos*, in regno enim cœlorum in regno gloriæ nonniſi *magnos* eſſe poſſe, uti egregiè ajat Auguſtinus L. 1. de ſermone Domini in monte. Imò intelligi per regnorum cœlorum hîc non regnum gloriæ, ſed gratiæ, hoc eſt, Eccleſiam. Ad Hebr. XII. 23. dici poſſit, *primogenitos* eſſe primos converſos ex Judaiſmo & Gentiliſmo, *juſtos conſummatos* eſſe Patriarchas & fideles V. T. omnibus competere eandem gloriam. Ad Danj. XII. 3. lucere inſtar ſplendoris cœli eſſe idem prorſus, ac lucere inſtar ſtellarum, quæ cœlum illuſtrant. Ad Luc. XX. 36. beatos dici futuros ἰσαγγέλους, Angelis ſimiles, non ſimpliciter, ſed ſaltem ſecundùm quid. Conſtitui enim paritatem illam diſertè in eo, quòd in reſurrectione neque uxores ducturi neque nuptum daturi & immortales ſint. Imò ſequi ex h. l. potius æqualitatem gloriæ, quia omnes ſine diſtinctione futuri ſint ἰσάγγελοι. Denique gratis ſupponi, diverſos eſſe gradus felicitatis & gloriæ Angelorum. Eſſe hoc probare obſcurum

per

per æquè obſcurum vel obſcurius. Imò, tametſi darentur diverſi gradus gloriæ inter Angelos, vacillare tamen conſequentiam in ordine ad homines, Angelos quippe diverſæ eſſe ſpeciei ſecundùm Pontificios, non homines. Ad Jeſ. LVI. 5. reponi videas, evnuchis phyſicè talibus, qui juxta Deut. XXIII. 1. prohibiti fuerint à congregatione ſacrâ, ſervaturis legem divinam promitti ſtationem in illâ & nomen melius præ filiis & filiabus, iſtam non ſervaturis, nomen melius, quàm, ſi filios & filias ſuſciperent, adeoque per nomen melius non ſignificari gradum beatitudinis. Denique ad Cant. VIII. 12. ubi: *vinea mea coram me eſt, mille tui, pacifice, & ducenti his, qui cuſtodiunt fructus ejus*, reſpondetur, quòd non inſtituatur hîc collatio cenſûs reportandi à paſtoribus comparatè in ordine ad fideles alios, quibus minor cenſus aſſignetur, ſed comparationem potiùs proponi cenſûs, qui redeat ad Dominum vineæ, & cenſûs, qui redeat ad cuſtodes illius, unde mille ſiclorum proventus Salomoni aſſignetur, ducentorum cuſtodientibus fructum vineæ, ut conſtet, Salomoni cœleſti præcipuos Eccleſiæ proventus deberi, nec tamen fruſtra cuſtodes vineæ laboraturos circa cuſtodiam illius, ſed & illis præmium aliquod, & magnum quidem ob miniſterium vineæ Domini fideliter impenſum tùm in hâc vitâ decretum eſſe, tùm in futurâ, hâc gratiæ & conſolationis, ibi gloriæ & gaudii æterni, cujus verò omnes fideles ſint compotes. Excuſſimus loculos diſſentientium. Sequitur, ut ad eorum exceptiones reſpondeamus, ut ſecuri ſtemus in theſi. Dicimus itaque 1. ex Apoc. XXII. 12. patere ſatis, *unicuique* reddendum ſecundum opera, quæ patrârit.

trârit. Cur memorantur opera & eorum diverſitas, ſi in cenſum non veniunt? 2. 1. Cor. XV. ſplendor corporum, quæ beati reſuſcitati gerent, comparatur diverſis cum ſplendoribus, gradu differentibus, ſolis, lunæ, ſtellarum, prout apparent. Unus ſplendor ſuperat alterum, en gradum! Conferuntur itaque inter ſe non tantùm corpora terreſtria & cœleſtia ſed & hæc inter ſe, & innuitur gloriæ diſparitas. 3. Luc. XIX. 16. ſqq. differunt utique inter ſe quinque & decem talenta, prout differunt chariſmata, queis ſpirituale facimus lucrum. Quis neget, graduum hîc innui differentiam, uti in chariſmatis, ita in lucro? Quis neget porrò, gaudia cœleſtia admittere gradus? 4. 2. Cor. IX. 6. intelligitur utique θερισμὸς vitæ futuræ. Jam & Gal. VI. 8. 9. θερισμὸς parvus non eſt nullus, qui nec parcus eſt. 5. Matth. XIX. 28. promittitur ſeſſio in XII. thronis, non pluribus, ſed 1. Cor. VI. 2. 3. nîl de thronis exſtat. Dantur judices primarii, dantur ſecundarii. Manifeſtum eſt, diſtingui eos, qui vitam æternam conſequuntur in genere, à ſeſſuris in XII. thronis. 6. Quid? ſi œconomia divina ferat, ut fructus meriti Chriſti diſpenſentur ſecundùm gradus noſtræ ſanctificationis, ſecundum opera vel præſtantiora vel minùs talia? At verò ſecundùm opera uniuscujusque acturum in remuneratione Deum jam probatum eſt. Nec tamen ſic gloriaturus eſt ſalvatus, qui novit, ſolam eſſe gratiam, quæ juxta gradus gloriam diſpenſet. 7. Nolim, per denarium Matth. XX. intelligi vitam æternam, quæ non datur murmurantibus. Parabola hæc eſt, cujus tertium hoc eſt, omnia gratiæ divinæ eique liberrimæ, quæ tamen & œconomiam ſuam, li-

cet

cet liberrimam habet, deberi, & genium mercenarium Domino exoſum eſſe. 8. Quærimus, unde multitudo manſionum cœleſtium veniat? Ratio à diſparitate petenda. Si dixeris, hâc in urbe multas eſſe domos, quis eſt, qui per ſomnium ſaltem conjecerit, ſolam innui multitudinem, diſparitatem nullam? Reliqua facilè mittimus. Sed & exponenda jam eſſent, quæ contra argumenta thetica diſſentientium dici poſſint debeantque, niſi plurima in antecedentibus jam præoccupaviſſemus, e. g. de merito Chriſti, quod æqualiter diſpenſetur, de denario, de eâdem judicandi dignitate omnibus fidelibus competente, quæ ſit Apoſtolorum &c. &c. Reliqua omnia, quæ afferuntur, ita comparata ſunt, ut gradus gloriæ admittant. Sed, quid de imperfectione eorum dicendum, qui gradu minore beatitudinis fruuntur? Num cadit in gloriam imperfectio? Quid eſt perfectio? Qualitas eſt bona, ineſſe debita. Hæc definitio cadit & in minores gradus. Minor perfectio defectus non eſt, qui eſt carentia qualitatis bonæ ineſſe debitæ. Sufficiant hæc ad dandum novum ſpecimen, tractandi controverſias per rationes dubitandi & decidendi juxta morem JCtorum in conſiliis ſuis. Pergimus, atque, ut ad argumentum diſſertationis hujus noſtræ primarium revertamur, & II. obſervamus, ſufficere, ſi ſtatuantur gradus gloriæ inæquales, non opus eſſe aureolis illis, quæ & ineptè reſtringuntur ſaltem ad virgines, Martyres & Doctores, cùm, ut ARRIAGA benè monet, præcipui gloriæ gradus & aliis, qui magnos in ſanctificatione paſſus fecerint, tribuendi veniant, etſi ille quidem præcipuè pro Monachis agat, quorum cauſam verò nos planè non agimus. Reſtat itaque, ut examinemus argumenta, quæ ex ſacris oraculis depromunt

munt Aureoliſtæ pro privilegiis gloriæ privis Virginum, Martyrum, Doctorum. De argumento generali ex Ex. XXV. 25. ita SPANHEMIVS l. c. §. 4. p. 447. *Notatio nominis jocularis eſt, ut & probatio illius ex Ex. XXV. 25. Deus jubet menſam panum propoſitionis circumdari tæniâ palmari & inſuper* זר זהב *limbo aureo. Ergo promittit* aureolas, *h. e. præmia quædam peculiaria ultra beatitudinem Doctoribus, Virginibus, Martyribus. Hæc ratiocinatio acuta eſt ſupra Chryſippum. Hoc verò non argumentari eſt, ſed ludere, & in re ſeriâ quidem & ſacrâ.* Nota benè, allegorias nil probare, nedum tàm coactas. Tranſeat hoc. Aſt, quid pro aureolis primò Virginum, quâ voce, ſenſu eccleſiaſtico non ſaltem deſignatur ſexus ſequior, ſed denotantur etiam mares, cœlites nempe, dicitur? Primum oraculum, quod allegatur, exſtat Jeſ. LVI. 5. Diximus jam aliquid ad h. l. quod nunc repetere juvat. De Eunuchis phyſicè talibus, non metaphoricis, ſermo hîc eſt, de iis, quibus introitus in congregationem ſacram erat prohibitus. Ecce interpretationem noſtram, quam in diſſ. de cauſis divortii ſub finem dedimus. *Dicitur hîc*, Evnuchis, qui ſabbata Dei, qui ipſius mandata fœdusque ſervaverint, in domo Dei & illius muris datum iri ſpatium & nomen præ filiis & filiabus, nomen æternum, non exſcindendum. *Non diſputabimus jam, num de temporibus veteris vel novi Teſtamenti diſſerat Propheta ſanctus? Prius exiſtimat* Seb. Schmidius *in Collegio Biblico priore p. 373. ſqq. poſterius idem in Jeſajæ h. l. quæ & communis ſententia interpretum eſt. Si ad V. T. verba Prophetæ applicentur, jam enim de ſervatione ſabbatorum divinorum & de domo Dei illiusque muris illa agunt, poſt captivitatem Babylonicam abrogata iſta lex,*

quæ

quæ evnuchos à congregatione ſacrâ prohibet Deut. XXIII. 1. *cenſeri poſſit. De N. T. hùc enim reſpicere videtur contextus, nullum dubium moveri poteſt, ubi ſine dubio lex illa vetus evanuit. Non, inquam, opus eſt, hæc ut jam determinemus. Sufficit, in hoc textu non agi de Evnuchis metaphoricis, ſed propriè ſic dictis,* ut jam diximus, *nec exſtare in textu* filiis & filiabus Dei, *quod ſupponit Bellarminus, & promitti præmium non Evnuchiſmo, ſed ſervationi mandatorum divinorum,* addimus, idque ſaltem externum, nec in cœlo, ſed in Eccleſiâ, quæ hîc domus Dei vocatur. Quod ipſum ſi ad gloriam extendatur quoque, uti extendi poteſt, comparatio Evnuchorum piorum fiet cum iis, qui mandata divina non ſervavere, adeoque regno cœleſti excluſi ſunt. Secundus locus, qui pro aureolis Virginum adducitur, exſtat Apoc. XIV. 4. ubi nobis ſiſtuntur citharœdi novum canentes canticum Apoc. V. 9. quod nemo potuerit diſcere niſi 144000 illi Apoc. VII. 4. ſqq. emti de terrâ 1. Cor. VI. 20. VII. 23. Additur, hos citharœdos eſſe eos, qui cum mulieribus non ſint inquinati Apoc. XIV. 8. XVIII. 3. XIX. 2. eſſe enim eos virgines, qui ſequantur agnum, quocunque iverit, eſſe emtos ex hominibus, primitias Deo & Agno, in quorum ore non ſit inventus dolus, eſſe enim inculpatos coram throno Dei. Non exiſtimârim, ſignificari hîc virgines propriè tales, qui, habetur enim in Græco vox ἔτοι, votum cælibatus voverint, quod contra primam divinam legem Gen. I. 28. vergit. Crediſne tu, 144000 illos ex tribubus Iſraëlis obſignatos fuiſſe cælibes omnes, qui votum cælibatûs voverint? Crediſne tu, evitationem ſcortationis vel libidinis adulterimæ vagæ mereri præcipuam aureolam? Crediſne tu, ſolos

cælibes aptos eſſe canendum novum iſtud canticum Apoc. V. 9. nulloſque alios id canere poſſe vel ad id canendum eſſe obſtrictos? Crediſne tu, ſolos cælibes eſſe emtos ſanguine Chriſti? Crediſne tu, matrimonium, quod Deus inſtituit, quod pretioſum, quod honorabile nuncupatur Ebr. XIII. 4. eſſe ſtatum impurum? Crediſne tu, ſolos cælibes vel cælibatus voto ligatos ſequi Agnum, atque inculpatos eſſe? Crediſne tu, ſolos cælibes eſſe primitias Deo & Agno conſecratas, contra Jac. I. 18. Mulieres illæ, cum quibus Virgines hi non ſunt inquinati, ſunt civitates idololatricæ, quæ ſub mulierum forma repræſentantur, uti mulier iſta & Babylon myſtica Apoc. XVII. Veram eſſe interpretationem noſtram patet ex contextu & commate quidem octavo inſequente. Virgines itaque dicuntur, qui idololatriâ non ſunt inquinati, ſive ethnicâ ſive pſevdo-Chriſtianâ. Hos ſub citharœdorum figurâ vidit in ecſtaſi Johannes. Nec Sap. IV. ad quem locum provocat ESPENCÆUS, plus probat, quàm ἀτεκνίαν μετ᾽ ἀρετῆς & pugnam caſtitatis coronari, ut virtutes alias. At verò, ſi aureola debetur cælibi, exiſtimaſne tu, veteres illos Eccleſiæ Doctores, qui in conjugio vixere, ſe ipſos aureolâ hâc privare voluiſſe, vel Clericos illâ privare voluiſſe, qui Clerogamiam defenderunt, ex quibus eminet Udalricus Epiſc. Aug. cujus epiſtolam hanc in rem ad Nicolaum I. ſcriptam novo cultu eoque critico ornatam denuò dabit M. JO. JAC. ESSICH, Eccleſiæ Evangelicæ Ravensburgenſis Miniſter doctiſſimus. Jam ad Martyres. Nullum eſt dubium, magnam eorum prærogativam in gloriâ eſſe, quâ coronantur. Quid quæſo vincentibus promittitur Apoc. II. III. Sed qui vincunt, ſoli Martyres non ſunt. Ais, amictos eſſe tamen

illos ſtolis albis Apoc. VI. 11. & geſtare palmas in manibus ſuis Apoc. VII. 9. 13. ſqq. Sed unde probas tu, has ſtolas albas, has palmas eſſe aureolas tuas, quas fingis? Stolæ albæ ſpectant ad vincentes omnes Apoc. III. 5. 18. Aſt palmæ tamen ſolis debentur Martyribus, quia victoribus. Ita Virgilius Æneid. L. V. verſu III.

& palmæ pretium victoribus.

Ita Pauſanias in Arcad. ἐς δε τὴν δεξιὰν ἔϛι καὶ πανταχῦ τῷ νικῶντι ἐπιθέμενος Φοίνιξ, *in dextram ubique victori dabatur palma*, quod in certaminibus Græcorum, ut erant Pythia, Iſtmia &c. familiare erat. Ita & Ambroſius hexaem. L. III. C. 13. *Laurus & palma ad inſigne victoriæ pertinent. Lauro victorum capita coronantur, palma manûs victricis ornatus eſt.* Sed nec laurus in capite nec, palma in manu aureola in mente eſt. Poſſem hîc varias in quæſtiones excurrere, ſi vellem. Num Martyres ſint, qui non requiſiti ipſi tyrannis ſe objecere? num, qui apoſtaſiâ vitam redimere haud potuere? qui, ne tyrannorum ſævitiæ ſe exponerent, ſe ipſos necavere? qui peccatorum luto immerſi nondum egere pœnitentiam, licet pro fide occumberent? num & hæretici Martyres eſſe poſſint? Num, qui fidem ſuperſtitionibus contaminant, & ob illam & has mortem patiuntur? Num embryones matrum Martyrum quoque inter Martyres referendi? Num infantes Bethlehemitici quoque Martyribus accenſendi? Num Joh. Baptiſta? & hâc occaſione, num etiam illi Martyribus annumerandi, qui pro veritate ſaltem dictâ occumbunt? Num Joh. Nepomucenus rectè Martyr dicatur, quia ſecretum confeſſionis revelare noluit? quod jure divino inviolabile non eſt, ſed revelandum, ſi præcaveri ita hoc vel illud malum inſigne poſſit. Num Virgo Deipara inter Martyres referenda? Num Chriſtus ipſe, quem Sociniani nudum

 putant

putant fuisse Martyrem? Num, qui tristis mortem pro fide obit, cùm vitam servare mallet, si sine dispendio salutis æternæ posset? Num milites, qui occumbunt in bello ob religionem gesto, Martyribus annumerari possint? Infinitæ sunt quæstiones, quæ hîc moventur, sed quas tangere instituti præsentis non est. Pedem figimus in Doctoribus. Heic ad Oraculum Danjeliticum diximus provocari. Sed nihil hîc præcipui doctoribus assignatur, uti ex Matth. XIII. 43. 1. Cor. XV. 41. patet. Et Prov. IV. 9. sapientiæ adscribitur corona, non præcisè doctoribus. Observamus III. eapropter vel maximè rejiciendas aureolas, quod merito & quidem operum supererogationis, quæ statuuntur, superstruantur. Tune quæso, homuncio, qui totum te Deo debes, qui mancipium Dei es, qui, quicquid es, habes & possides, à merâ Dei gratiâ habes, tantâ inflatus superbiâ es, ut credas, te Deum demereri posse? Latetne te, gratiam omne meritum tollere? Si hoc te latuerit, disce id à Paulo Apostolo Rom. XI. 6. Existimasne tu, meritum Christi hoc tibi impetrâsse, ut & ipse merearis, & quidem ex condigno? Diximus hanc in rem plura in diss. Theol. quâ paradoxum de servis omnia facientibus & tamen inutilibus diluitur, ad Luc. XVII. 10. p. 14. sqq. Ast, quid & opera supererogationis crepas, qui nôsti, Deum à nobis omne id poscere, quod ad sanctimoniam nostram altius evehendam facit? Quod si ita est, noli, quæso per omnem modum, crepare opera ad sanctitatem altius evehendam facientia, quæ Deus non injunxerit. Cultus à Deo non præceptus est ἐθελοθρησκεία, damnata à Paulo Col. II. 23. Confer & heic dissertationem citatam p. 23. 24. Ut taceam, & martyrium & prædicationem verbi divini injuncta esse, adeóque opera supererogationis esse nequire. Ultimum, quod observamus, hoc est. *Aureola* est diminutivum

beati-

beatitudinis, quæ *aurea* eſt, cùm deberet eſſe augmentum majus. Itane ergò Virgines, Martyres, Doctores, præmio maximo, quod eſt ipſa beatitudo, macti ob excellentiorem pugnam, quam depugnavere, pro excellentiore labore, quem exantlavere, accipiunt præmium ipſâ beatitudine minus, quo à reliquis beatis diſtinguantur? Vides, comprehendis, ita puto, ſententiæ tuæ ineptiam, vides ideas ſe invicem jugulantes. Aſt verò ais, nihil hanc in rem decîdiſſe Concilium Tridentinum, pertinere itaque, quicquid ſtatuerint heic Scholaſtici, ad campum problematum Theologicorum. Aſt aſſerit tamen Conc. Trid. ſeſſ. 6. can. 32. *hominem juſtificatum verè mereri gloriæ augmentum.* Sed *gloriæ augmentum* ſenſu tuo ſunt *aureolæ*, quæ erogantur ſecundùm THOMAM Martyribus, virginibus & doctoribus juxta tres victorias privilegiatas. Anſam hoc dedit HEIDEGGERO in tumulo Concilii Tridentini T. I. contra AUGUSTINUM REDINGIUM, Abbatem Einſidelenſem de *aureolis* latiùs agendi. Credimus tamen, nos, quæcunque ferè hanc in rem dici poſſunt, in compendium redegiſſe.

Reſpondenti ſuo S. P. D. PRÆSES.

Rectè facis, mi KUTTERE, *quòd ſpecimine academico comprobatum das, quantâ aſſiduitate hactenùs lectiones meas frequentaveris. Perge ita, gratiâ divinâ opitulante, augere eruditionem tuam theologicam. Aſſiſtat Spiritus ſanctior ſtudiis tuis, eaque ſanctificet, ut in hominem Dei evadas, qui Eccleſiam patriam, cui conſecratus es, olim plurimùm ædificet. Hic eſto præcipuus & ſummus ſtudiorum tuorum finis, quem ut aſſequare, votorum meorum ſumma eſt. Vale.*

Aureolas circa debellas dogmata falſa,
Aureolis Victor ſic redimitus abis.

Hiſce pereximiis clariſſimi Domini Reſpondentis, Cognati æſtumatiſſimi, in Theologia profectibus ſincere ad plaudit, iisque digna olim præmia ex animo adprecatur

M. Chriſt. Frid. Wild. in Ill. Stip. Theol. Repet.

Scilicet est aliquid, cum summa dicere laude
e cathedra, ac hostis frangere tela sui.
Porro tuis studiis Numen benedicat, ut olim
in Patriam ex omni parte beatus eas.

Hisce Clarissimo Domino Respondenti amico suo suavissimo amicitiam testari eximiosque studiorum profectus gratulari voluit

M. G. B. Canz, Opp.

Non dicam de laude TVA, quam jure mereris,
Nam specimen præsens nobile, testis erit.
Gratulor hoc, patriam poteris jam lætus adire,
Illa TVIS meritis præmia digna dabit.
Vota tamen restant, quæ sacrat amicus AMICO
Mente piâ, felix vive, mihique fave.

Hæc Venerabili atque Præclarissimo Domino Respondenti, Amico inter paucos conjunctissimo in sui memoriam apponere voluit

M. Georg Christoph Reinhardt, *Stuttgard.*
SS. Theol. Cand. in Ill. Stip. Theol. Opp.

Gratulor hoc specimen. TIBI, præclarissime Fautor,
Quo solidæ sistis dexteritatis opus.
TV merito à Musis deportas nomina Docti,
TE cingit merito Theiologia bonis,
Ob studium summum, sed pergito, dulcis Amice,
Summus JOVA TIBI & cœlica serta dabit.
Hæc Respondenti scribebat amicus amico,
Cujus Consiliis Numen adesse velit.

J. D. Schmid, Esslling. SS. Theol. Stud.

Der angebohrne Trieb, der Deinen Geist belebt,
Der nur nach Wissenschaft und seltnen Künsten strebt,
Ersteiget alles Lob, das Freunde Freunden geben.
Drum Vorsicht gönne Ihm lang und vergnügt zu leben!

Dem Herrn Respondenten, seinem schätzbaren Freunde, bezeuget durch diesen aufrichtigen Wunsch seine Ergebenheit, dessen billiger Verehrer,

J. G. Schelhorn, Memming. S. T. C. Opponens.

EPIGRAMME.

Tes rares Talens, KVTTER, te font assés connoitre,
mais pour ton amitié, nous la ferons paroitre,
tes merites par tout orneront nos discours,
nôtre zéle pour toi s' augmentera toujours,
sans jamais se lasser de chanter son savoir,
& de l' accompagner au Temple de memoire.

Monsieur, & cher ami

Agréez ce Sixain, que vos fidéles & très devoués compagnons de Table, & Amis vous consacrent comme un monument perpetuel de leur souvenir & de leur attachement.